

dicum est. Antiquior enim omnibus veritas, ni fallor, ait Tertull. in Apologet. c. 47. Id verius quod prius: id prius quod ab initio; id ab initio quod ab Apostolis Id. l. 4. adv. Marc. cap. 5. Hæc sola & vera & prima antiquitas, qua quicquid posterius, novum est & censerī debet.

XIX. Nec tamen & posteriorem antiquitatem, hoc est orthodoxum Ecclesiæ, primitivæ cum primis, consensum spernimus; sed licet non iudicium & magisterium, iudicium tamen & ministerium, eidem concedimus. Pontificiis verò nequaquam concedimus quod ab unanimi Patrum confessione, per Augustanam Confessionem secessionem fecerimus. Provocamus ad omnia nostratum Theologorum scripta, in quibus subinde consensus Patrum Scripturæ Dicitis jungitur: Integra nostrorum extant volumina sententiis Patrum, nostram Confessionem approbantium, plena: consulat tantum *Examen Concilii Tridentini magni Chemnitii*, qui hac de re dubitare vellet, & vera nos scripsisse fatebitur. Nostri non est instituti post Homerum Iliada scribere velle, nec thesum id permitteret ratio: sed digito tantum indice monstrabimus, Proavos nostros antiquos Germanos fidem eandem, quàm Patres nostri Augustæ confessos esse.

XX. Quod ut probemus. I. In genere ad doctrinam Apostolorum in N. Test. provocamus: & hypothesin hanc alibi à nostris demonstratam præsupponimus, quod videlicet omnes & singuli articuli Confessionis nostræ, exactè convenient cum doctrina ab Apostolis de iisdem articulis proposita. Præmittimus & hanc hypothesin: quod eandem doctrinam, quàm Apostoli viriq; Apostolici viva voce Ecclesiis in primo seculo à sese plantatis proposuerunt, in Scripturas quoque retulerint. *Evangelium quidem tunc præconiaverunt, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*, ait Irenæus l. 3. c. 1.

XXI. Jam verò antiqua Germanorum fides, illa est quæ ab Apostolis primum tradita est, Namque antiquis temporibus